



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Constantini in vrbem Romam introitu, & de statua eius, crucem manu
continente, & eiusdem inscriptione. Cap. XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

*De Constantini in urbem Romam introitu, & de statu
eius, crucem manu continente, &
eiusdem inscriptione.*

CAP. XXXIII.

Constantinus igitur cum ista aliaque eisdem germana
ac similia deo omnium duci, & auctori victoriae,
eximium dei famulum Moysen imitatus, cecinisset,
in urbem, quae omnium regina est, cum triumpho & ce-
lebri pompa ingreditur. Ibi tum frequentes, tam qui ex
senatorio ordine, quam qui aliis dignitatis ornamentis
ibi clari erant & eximii, tanquam ex seruitutis custodia
liberati, cum vniuerso populo Romano, laeto oculorum
obtutu, lubentibus animis, faustis acclamationibus, &
insatiabili gaudio eum exceperunt. viri etiam cuiusque
generis vna cum mulieribus, liberis, & infinita famulo-
rum turba, illorum liberatorem, conseruatorem, & bene-
ficum patronum ingenti clamore praedicarunt: At ille,
vtpote pietate in deum, tanquam naturaliter menti insi-
ta imbutus, non applausu illo populari & strepitu inso-
lenter se iactans, non laudum elatus praeconio, sed praes-
fidii a deo allati admodum conscius, extemplo preces
cum gratiarum actione auctori victoriae impertit: atque
illustribus inscriptionibus columellisque erectis omni-
bus hominibus salutaris Christi signi virtutem permul-
gavit: inque vrbe media, quae praeceteris principem lo-
cum facile obtinet, ingens istud trophaeum contra ho-
stes erexit: & hoc salutare signum characteribus, qui nul-
lo modo deleri poterant, in eo insculptis, Romanorum,
aliorumque omnium imperio subiectorum propugna-
culum esse demonstraui, palamque omnibus proposuit
ad intuendum. Ac statim vbi erectum hastile, ad formam
crucis in manum propriae imaginis in statua expressae
infertum, Romae in loco celebri, ac multum a populo fre-
quentato, locatum fuit, hanc inscriptionem latino sermo-
ne in eo mandat incidere. *Hoc salutari signo, vero fortitu-
dinis indicio, Civitatem vestram tyrannidis iugo liberaui, & S. P.
Q. R. in libertatem vindicanti, pristinae amplitudini & splendori
restitui.*

De